





1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.

3



1788.

1. Brandis, Johann Friedrich: *Ueber das reichthumschaftliche
Staatsrecht s. dessen Quellen.*
2. Gutschow, Antonius Dionisii: *Studia Lubecensium
promove vendi commercia, imprimis no monotheciae auctio*
3. Lesh, Ehrhardus: *De jure emigrandi ex uno territorio
in aliud Germaniae et in externas oras ejusque re-
strictione*
4. Malacord, Sebastianus: *De publicis officiis atque
juncta causa, ejusque legali captione non enforanda*
5. Meinerkeberg, Joannes Georgias: *Demonstratio juris cambialis
in concursu creditorum.*
6. Oelrichs, Imr Henr.: *De eo, quod iustum est circa
emigrationem civium Germaniae.*
7. Oelrichs, Albo Strigatus Henr.: *De jure et ordine succedendi
collatorum in feudis et bonis stemmaticis admod.
36 Divisione*

8. Seidenbicker, Jo. And. Lud.: De jure emigrandi
ex moribus Germanorum, seu jure communi ac lt. imperii
constituto.
9. Ziegler, Werner Carl. Ludov.: De iuribus Romanorum.
1789.
1. Greve, Petrus: De mutatione et revocatione testa-
menti tam quoad modum quam quoad effectum.
 2. Meister, Joannes Ludovicus Carol.: De fide librorum mer-
catorum
 3. Nieper, Jo. Rudolph.: De sequela venatoria vulgo Fagdolge
 4. Post, Simon Hermannus, Jo.: De origine et natura
juris civitatis hereditarii Germanorum ejusque praecipuis
ab emphiteusi Romano differentis.
 5. Seidenbicker, Jo. And. Lud.: De fundamentis juris supremae
potestatis circa Despota in jure publico universali
jure Romano et jure publico Germanico.

6. Tadel, datus Jacobus Andreas & Anthoniam redemptae
sunt rationes tutelares, pupillo ad huc minore? prosequi
ca reformet. part. Mecklenburg. De 1572 lit. Von Vonnid -
- Baffen W. Hren. - Weyen ... 57. - - -

7. Inkermann, Conrad Julius Hieronymus: De tutore et proce.
stando usurarum usuras hanc obligato

9883

4

DISSERTATIO INAUGURALIS

No. 1089

IVRIDICA

DE

1788,4

PUBLICIS OFFICIIS

ABSQUE IVSTA CAUSA,

EIVSQVE

LEGALI COGNITIONE

NON AVFERENDIS

QVAM

AVSPICIIS REGIIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

PRO

SYMMS IN VTROVVE IVRE HONORIBVS

CAPESSENDIS

D. VIII MARTII MDCCCLXXXVIII

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVMITTIT

AVCTOR

SEBASTIANVS MALACORD

STAVLETENSIS.

GOETTINGAE,

LITTERIS FRIDER. ANDR. ROSENBVSCH.



DISSERTATIO IN ACADEMIA

JURIDICA

DE

PUBLICIS OFFICIIS

IN ACADEMIA

HAERLEMI

IN ACADEMIA

NON AUFERENDIS

AVGUSTO

A. V. S. P. I. C. I. S. R. E. G. I. S.

ILLUSTRISSIMO

ACADEMIAE

HAERLEMI

HAERLEMI

HAERLEMI

HAERLEMI

HAERLEMI

HAERLEMI

HAERLEMI

HAERLEMI

10



REVERENDISSIMO CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
COELESTINO DE TIES

ABBATI STABVLETENSI ET MALMVNDARIENSI

PRINCIPI S. R. I.

COMITI A LOGNE

etc. etc.

PRINCIPI AC DOMINO SVO

LONGE CLEMENTISSIMO.

REVERENTISSIMO
ANIMI TESSERAM
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS
SVMMA AC PROFVNDISSIMA
REVERENTIA

PRINCIPIS S. R. I.
COMITIS ALTONIENSIS
SACRAT. VOVET, DEDICAT.

PRINCIPIS AC DOMINI SVO
SEBASTIANVS MALACORD.

CAP. I.

§. I.

De jure imperantis circa munera publica generalim.

Tanta in qualibet vel minima republica negotiorum publicorum copia est, ut imperans omnia ipse peragere nequeat. Cumi tamen omnis reipublicae cura ad ipsius officium spectet, et quaecunque per alios quoque in ea administranda peraguntur, imperantis nomine fiant: sine dubio ipsi soli etiam *jus munerum*, seu *officiorum publicorum* competit, quod consistit in jure determinandi tum quae negotia civilia, tum a quo subditorum, et quomodo denique singula peragi debeant. Pertinet itaque ad jura majestatica jus conferendi officia civilia; quo exercendo imperans quemlibet, cui aliqua ab ipso demandatur sparta, simul honoris, et praecminentiae, qua ipse in civitate fruitur, participem reddit. Gradum itaque etiam honoris definire, quo quilibet ministrorum publicorum uti debeat, ad imperantis jura procul dubio pertinet. *Officium* vero, quod administratione negotiorum republicam concernentium, sive publicorum absolvitur, *publicum*; et subditus, cui illud demandatum est, *officialis publicus*, minister civilis, ad minister reipublicae dicitur. Officialis qua talis, perinde ut ipse imperans civilis, est *persona publica*, cui opponuntur *personae privatae*, seu non publicae, quae sua tantum, vel aliorum subditorum negotia, vel etiam ipsius principis, quatenus ut privatus spectatur, negotia privata gerunt. Adeoque et omne principis famulitium das Hofgesinde, e publicorum ministrorum numero eximendum esse, parum dubitandum; ut itaque in his tam eligendis, quam dimittendis princeps privati tantum personam sustineat, ideoque etiam privato tantum jure

A

uta-

utatur. Longe alia est ministrorum publicorum conditio, quorum intuitu recte movente Kressio (a) "Princeps est et rector omnium collegiorum in sua civitate, curatorque salutis publicae, cui multum commodi a bonis officialibus, multumque incommodi metuendum a malis officialibus." Itaque facile quilibet dabit, imperanti etiam summo arbitrarium jus munerum competere non posse, cum omnis imperantis potestas naturalibus limitibus jam sit circumscripta; ut scilicet omnia jura imperii civilis ab eo ex salutis publicae rationibus exercenda sint. Quod multo magis in ejusmodi civitatibus observandum est, quarum rectoribus subordinata tantum, et dependens a superiori imperio potestas competit: quo omnes germaniae respublicae speciales merito referuntur, cum earum potestas territorialis caesari, et imperio R. G. subordinata sit.

(a) Diss. de jure officior. et official.

§. II.

Definitio dimissionis, et remotionis, earumque differentia.

Dimissio ministri publici est ademptio muneris commissi. Decerni ea nequit nisi vi ejusdem supremae potestatis, cujus autoritate officium collatum erat. Decernitur vero vel ad ipsius ministri instantiam, vel citra ejus voluntatem. Priori casu volenti dimisso non inferitur injuria; nec dimissus bonae famae jacturam patitur. Dimissio vero, quae citra officialis publici voluntatem decernitur, cum aliquo honoris, et bonae famae dispendio nunquam non quidem conjuncta est; attamen non una eademque ratione semper contingit. Interdum enim officiales publici nulla adjecta causa dimittuntur, vel etiam preces impetrandae dimissionis causa imperanti offerre jubentur, ad quarum tenorem bona gratia vel quasi dimissionem obtinent. Quod si autem dimissio nullis dimittendi precibus praeviis, sed proprio quasi imperantis motu, et in poenam ministri decernitur, *remotio* vel *castatio* vocatur. Inter utrumque dimittendi modum hoc praeprius interest, quod majus honoris damnum subeat ultro, et in poenam publicam remotus, quam qui jussus petiit, et obtinuit dimissionem, vel nullis precibus praeviis honeste tamen dimissus est. Remotionem seu castationem proinde non-

nonnisi ex causis eam justificantibus, et servato juris ordine decerni posse, maxime cum sit poena delicti commissi, extra omnem dubitationis aleam positum est. Utrum vero princeps ministros publicos justa causa non interveniente pro lubitu dimittere, vel ut innocentes petant dimissionem jubere possit, quaestio jam dudum inter DD. J. publici universalis, et part. imper. rom. germanici in utramque sententiam tractata fuit (b).

(b) SS. qui hunc loc. tractarunt nominat. Just. H. BOEHM. in J. E. P. Lib. V. Tit. 37. §. 68. sq. et auth. voti camerae in ill. SCHLÖB-
ZERI Staatsanzeigen Heft 29.

§. III.

Norma decidendi controversas circa dimissionem ministrorum publicorum.

Quae quidem quaestio cum legibus positivis decisa non sit, in decidendis litibus circa eam ortis imprimis ad ipsam officiorum publicorum propriam naturam, et eorum erga omnem rem publicam ejusque salutem habitum recurendum est; ideoque hoc thema, quod probe notandum, non ex principiis juris romani, aliisque juris privati positivis sed deficientibus hac in materia imperii legibus publicis ex principiis juris publici universalis ad statum imperii germanici admodum accommodatis dijudicandum est: etenim cum superioritas territorialis omnia ea jura, quae ad salutem publicam augendam tendunt, ut quaevis alia independens suprema potestas, salva modo dependentia a caesare et imperio R. G. complectatur: omnibus quoque juris publici universalis principiis, quae cuivis supremae potestati fines imponunt, hic locum esse nemo non videt. Ceterum nihil obstat, quin etiam analogiae juris positivorum hic locus detur; modo caute in ea applicanda procedatur, nec ob aliqualem similitudinem deficiente ceteroquin vera principiorum juris generaliorum convenientia quidquam statuatur. Pro diversa itaque romanae a nostris rebus publicis forma longe quoque ratio nostrorum officiorum publicorum a romanis magistratibus differt. Unde postquam abusum argumentorum ex jure romano in hac materia petitorum longius exposuit J. H. BOEHM. (c) de magistratibus romanis imprimis recte ait: "doctrina de jurisdictione, et magistratibus in
„jure

„jure romano exposita incongrue ad fora nostra applicatur, cum fa-
 „cies nostrarum rerumpublicarum a romana sit plane diversa; nec offi-
 „ciales nostri cum romanis indistincte comparari, multo minus jura
 „principum nostrorum ex jure romano peti possunt. Potius tota haec
 „doctrina ex principiis juris publici ad statum rei germanicae adcom-
 „modatis petenda est, quae ab antiquis interpretibus per provocatio-
 „nem ad jus romanum valde sunt turbata.”

(c) J. E. P. Lib. V. Tit. 37. §. 71.

§. IV.

Praeprimis natura officiorum attendenda.

Ad quaestionem ergo rite dijudicandam, an princeps, vel is, qui
 summum in republica tenet imperium, pro lubitu ministros publicos
 ab officio dimittere possit;

A) ipsa officiorum natura probe inspicienda venit, quorum discrimen quoque necessario parit judiciorum diversitatem. Officia scilicet sunt vel *haereditaria*, de quibus nullatenus disputatur, vel *non haereditaria* seu *personalia* haec sunt vel ad certum saltem ex natura negotiorum definitum tempus concessa, unde *temporaria* dicuntur; vel talia, quae sine temporis definitione conferuntur, et perpetua dici solent. Inter temporaria ea quoque numeranda sunt, quorum cura solius tantum principis personam respicit v. g. officia medicorum aulicorum; vel quorum opera princeps in negotiis publicis sua natura transeuntibus utitur v. g. legatorum publicorum, quos secundum jus gentium europaeorum practicum pro arbitrio revocari vix dubium habet; nec non judicum delegatorum, qui omni tempore revocari possunt. (d). De perpetuis officiis proprie nobis sermo est, nempe de officialibus, qui officio constanti ordinario, et sua natura perpetuo praeficiuntur. Ceterum mea quidem opinione superfluum foret distinguere inter officia titulo gratuito, vel oneroso data. Etenim sine dubio ex utroque titulo idem jus quaesitum nanciscitur minister publicus; unde ratione juris dimittendi parum interesse potest, utrum ipsi gratuito, an oneroso titulo munus publicum concessum fuerit,

rit, quamquam posito jure dimissionis libero quoad modum dimittendi, et in primis ratione indemnisationis aliqua differentia intercedat. Cum autem praeter ea officiorum scopus sit bonum publicum, unice ad idoneitatem accipientis in hisce conferendis erit attendendum; ex quo clarescit facile admodum civitati per officiorum venditionem damnum exoriri posse. Optimum ceterum pessimi imperatoris exemplum est, *qui non aliis mandabat honores, quam si constabat, alios digniores non esse* (e). Deinde si officia pretio fuerint acquisita, ut plurimum pecunia pro iis soluta non publico sed privato principis aerario inferitur. Non igitur video, quid obftet, quominus princeps, nisi generaliter admittatur ejus potestatem in dimittendis ministris esse restrictam, aeque hos, quibus numerata pro obtentis beneficiis pecunia restituenda est, ac illos quibus gratis munera concessa erant, dimittere possit. Imo successor illos etiam non restituto pretio possit officio dimittere; cum in iis solummodo causis antecessori fidem suam obligare tenetur, in quibus praedecessor, ut princeps, et caput reipublicae ad hujus incrementum egisse censetur, ideoque pecuniam pro obtinendo munere datam in utilitatem publicam versam esse constat.

(d) C. XXVIII. X. de offic. et potest. jud. deleg. C. XXV. eod.

(e) Tacit. annal. L. IV. c.

§. V.

Litterae solennes super collatione officii inspiciendae.

B) Alteram decidendi normam litterae solennes, quae super collatione officii publici conficiuntur, *die Bestallungsbrieße*, exhibent; ex quarum tenore adjudicandum est, utrum munus publicum titulo revocabili, an irrevocabili collatum sit. Illud supponit imperantem jus dimittendi pro arbitrio ministrum publicum sibi expresse reservasse; et qui hac lege sibi collatum munus suscipit, de injuria dum dimittitur queri nequit. Contrarium vero obtinere in eo, cui absque tali reservatione munus collatum est, fere omnes, qui arbitrariam principi non tribuunt potestatem, affirmant. Licet non desint, qui opinantur omnes ejusmodi char-

tas ex mera gratia dari; ideoque omnibus tacitam reservationem inesse, ut adeo, et simpliciter concessa munera pro lubitu revocari possint. Primo loco autem hic disquirendum, an clausula, quam vocant *beneplaciti*, *auf Wohlgefallen*, *aus besondern Gnaden*, *bis auf weitere Verordnung*, et quae sunt hujus generis expressiones aliae, semper indubitata reservationis signa sint, quae primo quasi intuitu plurimis visa sunt. Sed si dicendum quod res est, omnino hoc casu multum interest, utrum clausula, quantumvis nobis placuerit, pro solo stylo cancellariae in ejusmodi litteris quibuscunque usitata sit adjecta; an in hoc vel illo tantum casu certis circumstantiis moventibus, aut in hoc vel illo ministerii genere, vel denique hujus vel illius personae causa sit adhibita. Quod primum attinet, quis facile intelliget magnam copiam formularum, verborumque abusu potius, quam usu recto receptorum in stylo cancellariae usu servari, quae legenti, aut nullum aut saltem conceptum litterae annexum non praebent (f), adeoque putem eam jurisconsultorum opinionem probandam esse, qui ejusmodi beneplaciti clausulas ut arbitrium boni viri interpretantur. Qua de causa etiam princeps tamquam vir bonus concessionem a se factam ex mera gratia, sine justa causa non aufert. Unde recte inferunt etiam ministros publicos hisce clausulis adjectis officio praepositos, non minori jure perpetuos esse, ac reliqui sine ea praefecti (g); nec sine justa causa dimitti posse; maxime cum ejusmodi clausulae gratiam respirantes fere nunquam omitti soleant. Qua de causa si a significato hujus clausulae litterali recedere nolent, idem esset, ac si omnia arbitrarie potestati imperantis relinquenda statuant. Alia prorsus hujus clausulae vis est, si ea in speciali casu adhibetur, tunc princeps ministrum pro arbitrio dimittendi facultatem sibi utique reservasse videtur; officialis quoque munere sub hac lege speciali accepto, approbat eam conditionem, sub qua muneri praefectus est. Collocationi proinde pactum displicentiae adhaeret, et princeps, in cujus favorem hoc pactum fuit adjectum, jus habet consilium mutare pro lubitu, liberaque utitur dimittendi potestate.

Hanc distinctionem rei naturae rectaeque rationi convenire vix dubitari poterit; si itaque dantur verae, et sufficientes rationes,

nes, ex quibus dominus territorialis in germania obligatur, ut quemvis ministrorum suorum in officio publico relinquat, donec praegnantae causae ad ipsum dimittendum appareant, deque iis in via juris cognitum sit; hujuscemodi rationibus adjecta solummodo clausula, *quantumvis nobis placuerit*, nihil detrahitur. Non deesse ejusmodi rationes ex sequentibus uberius patebit. Illud tantum hoc loco addendum, vim omnem amittere eam clausulam beneplaciti, si quotidianus est usus in expediendis chartis super collatione officiorum; quemadmodum medicina, qua quotidie abutimur, frustra paratur (h).

(f) ill. J. F. RVNDE in *Schlözers Staatsanzeigen* Hest 29. p. 45.

(g) Casp. KLOCKIUS consil. 32. n. 14. ibiq. allegat. *Menoehius*.

(h) ill. RVNDE l. c. p. 44.

§. VI.

Continuatio.

Neque hoc omittendum est, interdum, maxime cum extranei ad officium publicum vocantur, principes non sibi metipsis tantum facultatem dimittendi liberam reservasse, sed eandem quoque potestatem liberare resignandi officialibus dedisse, adjecto modo recto temporis spatio, quo renunciatio invicem praemittatur, ne scilicet intempestiva oboriatur abdicatio. Quo pertinet clausula quam LYNCKERVS adducit (i): *daß ein Theil dem andern nach Gefallen, und da es seine Gelegenheit seyn sollte ein halbes Jahr zuvor die Bestallung aufkündigen solle*. Vim ejusmodi clausulae ex distinctione praecedenti §pho explicata rite definiri posse arbitror. Pertinet enim ad insolitas in collatione officiorum publicorum stipulationes, quarum intuitu boni interpretis est, a proprio verborum significato non recedere; supponendum nempe est, deliberato utrinque animo pactum expressum esse. Ideoque ad stipulari *Lynckero* non possum, qui officium ex hoc pacto collatum nihilominus irrevocabile esse in tantum putat, ut principi jus liberum dimittendi ministrum haud competat.

(i) LYNCKER. *Diss. de beneplacito*, Sect. 2. cap. I. §. 2.

§. VII.

§. VII.

Collatio officii conventionem onerosam continet.

Privatus quamquam per promotionem ad officium, beneficium ex mera gratia a principe accipiat, nihilo secius tamen inter utrumque eo ipso bilateralis conventio inicitur; aut quod idem est, privilegium onerosum obtinet. Nam promotio ad officium utriusque partis consensu perficitur, utriusque etiam et dantis et accipientis utilitatem aequè principaliter omne negotium respicit; quoniam princeps certorum rei-publicae negotiorum administrationem suo nomine peragendam alicui injungit, eique certum dignitatis gradum, certaue jura et certa comoda promittit; hic autem spondet se negotia ista diligenter, atque accurate gesturum. Adeoque collatio verum in sensu juris gentium contractum continet, utpote compromissio acceptata (k). Pacta vero servanda esse lex naturalis tam imperantes, qui subditis suis certa officia committunt, quam subditos, qui ista officia administrare tenentur, obligat (l). Objicitur quidem subditum ad subeundum officium cogi posse, adeoque ex parte subditi consensum non adesse, et collationem officii nullum pactum continere. Sed subditum indistincte a principe sine ullo respectu indolis, officii et qualitatis hominis, ad quodvis munus publicum cogi posse, id mihi aequè persuadere possum, quam quod imperans subditis, qui officii publici administrandi capaces sunt visi, ultro id offerre debeat. Res omnis potius ex salutis publicae rationibus aestimanda est, quae in casu quam maxime extraordinario coactionem talem in thesi quidem justam reddere potest; in hypothese vero regulariter eam tanquam injustam et bono publico e diametro adversantem respuit. Et si etiam admittatur casus ejusmodi rarissimus, subditi licet coacti consensus necdum excluditur, nam tacite saltem in pacto subjectionis consentit, se non res suas tantum, sed et personam cum omnibus suis facultatibus in salutem civitatis adhibere velle.

(k) WOLF J. N. Part. 8. §. 900.

(l) HOBBSIVS Tractat. de Civ. cap. 7. §. 10. contendit pactis inter principem qua talem, et subditos locum non esse, et sic injuriam principem civibus facere non posse. Verum absurdum non est universos pacisci cum singulis, cum istiusmodi pactione ipsa civitas fuerit

rit constituta. J. H. BOEHM, Diss. de jure Principis circa dimissionem ministr. cap. 2. §. 20.

§. VIII.

Igitur collationem officii in perpetuum esse factam censetur.

Officii collatio autem ex mera gratia fiat, sive non, hoc pactum per se non est precarium; nam concessionem quae ex speciali gratia fit, cum qualitate precarii, indeque fluente libero revocandi jure necessario non sunt conjunctae, nisi id litteris concessionis clare fuerit expressum; quo casu ut in alijs negotiis secundum consuetam praxin impetrans concedenti aut reversales exhibere, aut alia ratione titulum precarium in concessione agnoscere tenetur. Ceterum in alijs casibus non dubitandum est, quin omnes concessionem e principis gratia profectae respectu concedentis obligationem perfectam producant. Hunc equidem animum sese irrevocabiliter in concessione muneris obligandi, merito quilibet in principe justo supponit; alias plurimi cordati homines officia publica, quorum amittendorum periculum forsitan provecta jam aetate metuendum, vel omnino non susciperent, vel quavis commoda occasione relinquerent, alibi tutiorem victum sub justiori imperante quaerentes. Hinc sententia eorum falsa est, qui conditionem beneplaciti cuilibet concessioni, etiamsi expressa non sit, litteris super muneris concessione conscriptis tacite inesse putant; cum ejusmodi reservatio contra naturalia conventionis, non nisi expressis verbis utriusque partis animo deliberato adjectis pro lege conventionis haberi nequeat. Adjiciendum itaque omnino est pactum precarii expressum, si imperans libero jure dimittendi uti velit; illud vero, qui omiserit, sibi ipsi imputet, quod non clarius locutus fuerit (m). Pari modo refellitur facile et eorum opinio, qui ob solas preces, ad quas concessio muneris facta est, ipsam concessionem jure precarii petenti contigisse asserunt; occasio enim contractus naturam ejus minime mutat. Non nulli etiam, qui collationem officii per modum contractus fieri non negant, hunc tamen scrupulum sibi injiciunt, concessionem ut plurimum in indefinitum tempus fieri solere; ob eamque causam utriusque contrahentis liberam omni tempore revocandi et renuncian-

annorum et dierum definiatur, quod jam ex ipsa contrahentium intentione, natura contractus et salutis publicae rationibus latis definitum est. Ea enim est utriusque paciscentis intentio, ut is, cui officium collatum est, eodem pro omni vita sua fungatur; et eam ob causam haud opus est, ut in pacto collationis tempus determinetur, quo effluxo jus fungendi munere expiret. Neque conditio resolutiva unquam ad-jicitur, a qua ulterior juris duratio dependeret, quod collato munere accipienti traditum est (o).

(m) L. B. DE CRAMER *Observ. jur. univ. T. 2. P. I. Obs. 567.*

(n) WESTPHAL *Deutsches Staatsrecht*, p. 171.

(o) WOLF. *Jus naturae P. VIII. §. 899.*

§. IX.

Continuatio.

Cum praeterea hic sermo sit de officio sua natura perpetuo, et illud regulariter per ministri totum vitae cursum durare debeat, illud ante ipsius mortem auferri nequit. Nam imperans, qui publicum in aliquem officium confert, id proprie non suo, sed reipublicae nomine facit. Viri igitur, qui officio funguntur publico, minime ut ceteri principis famuli privata ipsius negotia curantes, sunt habendi; quibus princeps ex operarum locatione et conductione tantum obligatus est, quosve ex natura hujus contractus finita flatutis temporibus locatione liberam habet facultatem dimittendi. Reipublicae enim quoad hos non magis ac ratione aliorum privatorum familiae interest. In publicis ministris vero dimittendis princeps idem non suo sed reipublicae nomine, ideoque ex publica causa agere tenetur, quae nunquam liberum dimittendi arbitrium admittit.

§. X.

Argumentum ab obligatione principis se justum aequumve singulis subditis exhibendi, petitur.

Princeps aut alius, qui summam in civitate habet potestatem, cujus suprema lex salus reipublicae est, non solum de bene administranda in terris suis justitia sollicitus esse, sed ipse civis ex subditis suis

fuis aequum se moderatorem exhibere, quaesita cujuscunque jura facta et testa fervare debet. Et re vera si privatus quisque universa justitiae lege: *Suum cuique*, tenetur; eo magis illa ad supremum imperantem spectat, ex quo tanquam ex fonte pax et justitia in omnes diffunduntur. Subdito autem, cui sine justa causa officium eripitur, simul jura quaesita maximi momenti adimuntur et summa injuria inferitur. Posteaquam enim meliorem vitae, et saepenumero non modicam patrimonii partem impenderit, ut habilis fieret muneri cuidam in republica, iniquius certe nihil cogitare potest, quam eripere illud sine causa, cujus causa ea omnia impensa erant. Omnino etiam ipsa non impetrata dimissione, licet honesta dicatur, fama dimissi semper laeditur; praesumitur ipsum officio male functum esse, et ex hac ratione officii sui iacturam fecisse, licet optimus fuerit, et majorem reipublicae utilitatem praestiterit, quam innumeri alii ejusdem principis ministri. Ideoque non facile alibi nova munera ei committuntur. Quis enim principem adeo durum et iniquum existimabit, ut subditum officialem sine justa causa dimisisse, et dimissum asperginis fortunae fati tradere voluisse credat?

§. XI.

Argumentum ab obligatione principis ad salutem totius civitatis promovendam desumptum.

Ut singuli sic universi quoque cives felices esse cupiunt. Principis igitur est laetari de communi omnium salute, et nihil non agere, quod ad creandam, conservandamque reipublicae felicitatem pertinet; idoneos ergo, et probatae virtutis viros ut ad officia promoveat, justitia exoptulat; quam contra aperte laedit, si eos absque justa causa dimittere, aliosque in illorum locum substituere praesumit; qui prioribus vixdum aequiparari possunt. Adhaec, qua ratione excitari poterit ejusmodi officialis ad rite fungendum munere suo, si de muneris aequae ac de vitae termino incertus relinquatur, et utrumque diversa sorte regi adpareat. Leges imperii quidem hac in re imperantis potestati limites non posuerunt, cuncta tamen principis jura ad bonum publicum servandum, augendumque tendant, necesse est. Cum ergo jus abdicandum, augendumque tendant, necesse est. Cum ergo jus abdicandum, augendumque tendant, necesse est. Cum ergo jus abdicandum, augendumque tendant, necesse est. Cum ergo jus abdicandum, augendumque tendant, necesse est.

lum autem jus majestaticum in damnum reipublicae princeps exercere debeat; per ereptionem officii non solum dimissus officialis in calamitatem detrudatur, sed etiam civitas quam maximum exinde damnum perpatriatur: facile patet, imperanti officia et munera publica sine justa causa auferendi jus non esse (p).

(p) Nonnulli juris interpretes in hac materia dissentientes solent inter regulas liciti, et honesti, atque justii distinguere, statuuntque principem in conscientia peccare, si reipublicae idoneum virum absque justa causa aut ex frivola ratione subtrahat. Aliquam veri speciem haec quidem habent in principe judicem superiorem in terris non agnoscente, quamquam in his nequidem solidis nitantur rationibus. Tanto magis itaque contra status imperii, si ita potestate sua abusi fuerint, a supremis imperii tribunalibus mandata restitutiva C. C. aut S. C. pro rerum circumstantiis impetrantur atque conceduntur. *Cramer. l. c. T. 2. P. 2. obs. 628.*

§. XII.

Obligatio successoris in principatu.

Ad quaestionem, utrum successor, qui principi in regimine succedit ministris officia ab antecessore collata eripere possit, definiendam, parum opus est, ut ratio diversi juris et modi succedendi habeatur, scilicet utrum successor universalis, an singularis fuerit; utrum in Alodio, aut in feudo solummodo successerit; utrum defuncti filius, aut agnatus sit; paucis nil interest, quo titulo, et ordine ad successionem pervenerit, sed generatim res omnis eo redit, utrum antecessor tanquam rector civitatis in conferendo munere egerit; nec ne. Quod ad ea officia attinet, quae defunctus vi summi imperii certis personis concredidit, adeoque cum illis nomine, et in utilitatem reipublicae contraxit; haec omnia imperans qua talis in illos contulit; hinc dubio caret successorem ad pacta eo sine inita servanda perfecte obligari; dummodo antecessor potestatis suae limites non exceaserit, nec contra successoris jura, quidquam statuerit. Princeps enim ipsius civitatis nomine agit, et quidquid in republica vi imperii sibi competentis ordinavit, eodem jure valet, ac si ipsa civitas illud constituisset. Mutata igitur persona principis, ordinationes ejus non mutantur nec vim obligandi amittunt. Si quis contrarium adoptare vellet, idem esset, ac si

si diceret, successorem non teneri pactis ab antecessore in regimine vi imperii civilis initis, proinde majori hunc gaudere potestate, quam praedecefforem: quod tamen sanis juris publici principiis repugnat. Ceterum quae in §§. 4. 5. 6. dicta sunt, hic omnino applicantur, dummodo notetur, quod officia ad verum beneplacitum vel precario titulo concessa, non ipso jure revocata, sed reconcessa sub eadem conditione censi debeant; nam, qui tacet, et loqui potuisset ac debuisset consensisse videtur. Sed dubium contra hanc de obligatione successoris sententiam non leve moveri poterit, praesertim intuitu eorum publicorum ministrorum, qui defuncto principi a secretioribus consiliis erant, cum ob singularem prudentiae fiduciam quam antecessor iis habuit, electi, ideoque personae ipsius comites tantum fuisse videantur. Sed verius et justius nihilo secius est, hos quoque ministros esse publicos; et principem successorem ad servanda in his quoque ea omnia obligari, quae publico nomine ipsis ab antecessore promissa sunt; maxime cum et saluti reipublicae periculosa foret eorum dimissio, si injuriam per eam ipsis illatam in novo alterius civitatis officio vindicare, et ea quae ipsis in pristino officio, quo injuste privati sunt, innotuerunt, in perniciem ejus civitatis vertere velint. Qua de causa si fiducia animi eorum successori deest, integrum quidem ipsi est, eorum consilio non uti, hinc juri suo quidem, minime vero obligationi suae renunciare. Jure suo itaque et pristinos honorum titulos, et salaria retinent, licet pristino officio vel omnino, vel pro certa parte non amplius fungantur.

§. XIII.

Capituli obligatio sede vacante ratione munerum publicorum.

In territoriis ecclesiasticis sede vacante capitulum ministros territorii abdicare non posse in aprico est; nam cum Episcopus aut Abbas eum principatu, ejusque juribus majestaticis a Caesare et imperio investitur, atque non nisi vi hujus investiturae ipsa superioritas territorialis competat; capitulo vero capite orbato principatus tantum administratio, minime vero regimen ipsum datum sit: ea quidem omnia, quae moram non ferunt capitulo sede vacante commissa sunt, nequaquam vero jus ministros dimittendi et ejusmodi moliminibus durante

sedis vacantia principatum perturbandi. Supremum imperii aulicum tribunal causam hanc nuper his verbis definivit (q). "In dem memb. 3. lit. b. conclus. des 28. Aug. 1783. Bereits von Kayserlicher Majest. dem Domkapitel ausdrücklich unterlagt worden ist, bey denen nachgelassenen fürstlichen Ministern, Räten, oder Dienern, ausser in casibus imminentis damni irreparabilis, die mindeste Aenderung zu treffen, denenselben an ihrer Besoldung, Gnadengehalt, oder sonstigen Praerogativen etwas zu mindern, oder zu nehmen, oder solche gar abzuschaffen — — pars impetrata wird zur buchstäblichen Befolgung des obgefügten memb. 3. concl. de 28. Aug. 1783. angewiesen."

(q) Reichshofraths. concl. d. II. Aug. 1785. memb. 2. lit. c. *Reufs Staatskanzley B. II. p. 142.*

§. XIV.

Magistratum superiorum auctoritas in dimissione ministrorum.

Quemadmodum principi integrum non est, officialem munere suo pro lubitu privare, ita multo minus superiores magistratus in inferiores ministros publicos sua auctoritate vel inconsulto principe et sine justa causae cognitione jus tale dimittendi sibi arrogare valent; licet ceteroquin ipsis potestas data sit, certis muneribus in republica habiles praesentandi vel omnino denominandi. Minime enim fines potestatis commissae in praedictum aliorum extendere, vel tacito principis consensu talia exercere possunt, quae princeps ipse peragendi nullum jus habet. Si tamen magistratus superior tale quid sibi sumferit in dimissione injusta inferiorum ministrorum; vel etiam principi autor suaforce fuerit, ut absque justa causa officialis publicus dimissus sit; hunc, si forsan postea eandem fortunam subit, de injusta dimissione querentem edicto praetoris: quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem utatur, merito repelli persuasum habeo. Ex iis vero, quae de magistratum majorum auctoritate, in dimittendis ministris publicis dicta sunt, simul patet, etiam nobili patrimoniali jurisdictione gaudenti facultatem justitiarum sua solius auctoritate et sine justa causa, ejusdemque cognitione dimittendi non competere. Subsistit enim inter nobi-

nobilem et iudicium jurisdictionis mandatum, de cuius indole jam jura romana, interprete *Ulpiano* ita definiunt: "Sicut enim mandare jurisdictionem, vel non mandare in arbitrio proconsulis est: ita admittere mandatum jurisdictionem licet quidem proconsuli; *non autem debet inconsulto principe hoc facere* (r). Universalisque germaniae praxis idem probat (s); maxime eam ob causam, quia in omnibus specialibus rebus publicis bene ordinatis ii quoque, qui ad administrandam jurisdictionem a nobili denominantur, a superiori tribunali examinandi et confirmandi sunt; quae cum rite peracta sunt, omnino personam publicam sustinent. Ut adeo cetero nobilis famulatio adscribi nequeant, qui publica auctoritate munus capeant.

(r) in lege 6. §. I. ff. de officio proconsl.

(s) Tob. Jac. REINHARTH ad Christinaei decif. Vol. 2. Obf. II.

§. XV.

Argum. primum dissentientium a reciprocitate jurium in contractibus desumptum.

Quemlibet ministrum publicum officium suum resignare et a principe dimissionem petere, eamque ab imperante denegari non posse, fere omnes Icti jure contendunt. Inde vero dubium formari solet contra ea, quae hucusque de jure imperantis in dimittendis officialibus non libero disputata sunt. Quid ergo, inquit, dominum prohiberet, quoniam eundem pro lubitu dimitteret, qui libero in resignando officio utitur jure? Quare id principi non liceret, cum tamen adfit paritas rationis, et vulgatum illud scilicet: jura in contractibus sint reciproca tum active cum passive hic applicari possit (t)?

Regula haec juris, quod uni aequum est, alteri iniquum esse non debet, omnino naturali et civili jure fundata est, sed egregie falluntur, qui eam nunquam fallere perhibent. Et praesertim in hoc, quo versamur, negotio exceptionis locum esse, juriumque imperantis et subditi differentiam admittendam esse personalis contrahentium ratio suadet. Dimissus officialis enim in quacunque dimissione haud imperata, licet honorificis et vel gratiosis verbis concepta sit formula dimissio-

missionis, aliquam si non honoris, saltem aestimationis jacturam patitur; et licet a remotione et cassatione prorsus diversa sit, in vulgi tamen oculis nullatenus differunt; et praxis ipsa hanc vulgi opinionem confirmare videtur: officialis si malae administrationis modum non excesserit, non removetur, sed simpliciter vel dimittitur, vel ut petat dimissionem in poenam jubetur. Evenit inde saepissime, ut dimissus in omne vitae suae tempus sui et familiae suae forsitan sat numerosae sustentationem amittat. Quis itaque non videt in dimissione non petita ab officiali aliquid semper haerere, quod dimissi fidem et ipsam famam minuit, non adeo facile ipsi esse alibi aliud officium acquirere? Sed longe diversa facies est, si officialis proprio motu officio se abdicat, vel dimissionem pro ea qua par est, submissione a principe petit; eo enim principis nec honor, nec auctoritas, neque territorii salus ullatenus diminuitur; quoniam aliorum virorum, qui cunctis ad officium requisitis instructi locum apertum ambiunt, copia principi nunquam deest.

(t) MOSER Observ. J. P. de jure statuum imperii circa suos consiliarios §. 40.

§. XVI.

Continuatio.

Neque desunt alii contractus inter imperantem et subditos initi, qui licet sint bilaterales, jurium et obligationum inaequalitatem admittunt. Pertinet huc ipsum subjectionis pactum. Cuilibet libero germaniae civi ex constitutione imperii nostri licet pro lubitu soluta emigrationis Gabella solita emigrare, et hinc subjectionis nexum solvere (u): princeps vero non aequae facultate quemlibet subditorum pro lubitu proscribendi gaudet. Nemo etiam mortalium principis facultatem oneris regiminis resignandi, seque obligationibus patriae ex pacto debitae liberandi in dubium revocat; attamen propterea subditis jus principi reverentiam obedientiamque debitam pro lubitu denegandi nullatenus competit. Sic quidem primi omnium officialium, quem titulum neque summi rectores civitatum dedignati sunt, magistratu se abdicant, quam primum ipsis placuerit; et nunquam ipsis in mentem venit, civitatem ob aequalitatem jurium libertate aequali ipsos dimit-

dimittendi gaudere (v). Similes inaequalitates jurium in jure etiam positivo quoad jura et obligationes contrahentium plures reperire licet: Vassallum feudum refutare, ideoque et juri et obligationi suae ex nexu vassallitico renuntiare potest, sed dominus directus vassallum absque causa legali eo privare nequit (w). Emphyteuticarius ex veriori sententia fundum emphyteuticarium pro lubitu derelinquere potest; dominus vero emphyteuseos sine causa legibus probata fundum eripere nequit. Si regula aequalitatis jurium ex contractu nullam admitteret exceptionem, in hisce pariter casibus vim ut obtineat necesse foret.

(u) Supremus imperii aulicus senatus confirmat: "Dass das freye Wegziehen der Unterthanen in Deutschland zur alten deutschen Freyheit in Ansehung derer, so nicht leibeigen sind, gehöre." FABRI Staatskanzley, Tom. 49. p. 461. de anno 1723. Hanc libertatem civium liberorum germaniae etiam firmavit I. P. O. art. 5. §. 36. 37. Et ob religionis diversitatem tantum domino territorii permittum est, jubere emigrationem contra regulam juris publici et pactum subjectionis.

(v) Ill. RVNDE in Schlözers Staatsanz. Heft 29. p. 47.

(w) II. F. 38. 49.

§. XVII.

Argum. differentium secundum a societate herili desuntum.

Officia et munera, quae alicui committuntur, sunt pars sollicitudinis principalis, et radicaliter ad principem pertinent; exercitium tantum, et administratio eorum, quae ad officium pertinent, ministris committuntur; sicuti bonus paterfamilias est dispensator omnium negotiorum domesticorum, quae alias ipsemet subiret et perageret, nisi necessitate pressus vicariae aliorum curae ea committere cogetur, quibus autem paterfamilias ea committit, nudi administratores, procuratores et insitores sunt, nihil proprii in administratione habentes, et in omni negotio a domini nutu dependentes. Proinde regulariter et nisi aliter conventum, societas in specie herilis ad tantum temporis saltem ad quod alterutri contrahentium non displicuerit, inita censetur (x). Ita quidem adversae sententiae patroni philosophantur. Sed si dicendum, quod res sit, longe diversa ratio est societatis oeconomicae et civilis, ut ab illa ad hanc tanquam a diversis ad diversa

conclusio parum recte fiat. Societatis enim oeconomicae scopus primarius ad quem omnes domesticorum actiones referuntur, est bonum folius patrisfamilias: in societate vero civili finis primarius et essentialis non est folius principis felicitas, etiamsi et haec pariter promovetur, sed univerforum ac singulorum bonum atque salus civium, cuius causa unice partem naturalis libertatis, quae hominibus merito infiniti est pretii, in manus principis deponere, seque ei tanquam iudici supremo submisere. Princeps itaque civitatis, non haec principis causa adest. Adeoque in committenda et revocanda administratione officii publici, non suo sed reipublicae commodo, inservire tenetur. Finis autem hic non obtinetur, uti ex praecedentibus colligitur, si privata persona qua talis vel ut locator operarum, aut mandatarius ad negotia publica peragenda a principe ita denominatur, ut ad instar famuli domestici iterum dimitti possit. Officialis publicus enim, quam primum operam suam civitati spondit, se eidem, donec ipsi placuerit fore adstrictum supponit; neque princeps, cum ipsi munus publicum concedit, de eo aliter sentire videtur. Praeterea ex dimissione officialis publici involuntaria plerumque averissima fortuna cuivis nota, dimisso famulo domestico minime timenda emanat. Quod itaque in horum dimissione sequimur principium: *stat pro ratione voluntas*, in illorum dimissione locum habere non potest; Sed potius illud, *quod ab initio erat voluntatis, ex post necessitatis fit*, usui hic esse nemo non videt. Denique omnis a famulis domesticis ad ministros publicos argumentandi ratio utique in horum injuriam vergit, et operas sua natura diversissimas tanquam res vili pretio venales aequa lance ponderat. Quod et ipsi reipublicae cuius causa hic maxime agitur, ignominiosum est.

(x) BOEHM. Diff. cit. c. 2. §. 15. NEVMANN. Med. jur. princ. priv. L. 3. T. 20. §. 488. 487. STRUBEN Rechl. Bed. Tom. 3. p. 510.

§. XVIII.

Tertium argum. adversariorum a subiectione civili desumptum.

Sed ulterius instant adversae sententiae patroni, obmoventes nemum subiectionis, quo quilibet subditus ideoque etiam publico officio fun-

fungens obstrictus est. Dimissionem ergo absque ulla contradictione vi subordinationis admittere eos debere, nullamque proinde hic causam requiri, multo minus de ea cognoscendum esse credunt, utrum ea iusta sit, nec ne. Certum etiam esse perhibent, quemvis officialem reverentiam et obedientiam principi debere, praesertim in causis ad officium pertinentibus, quae neque religioni, neque conscientiae adversantur, summam ei obedientiam praestare debet. Sed quis non videt hoc verborum apparatu nihil aliud effici, quam defensionem arbitrariae imperantis potestatis seu despotismi. Si enim gloria obsequii subditorum et ministrorum publicorum ad omnia ea extenditur, quae salva conscientia facere et pati possunt; si omnino obmutescendum subdito ad instar mansueti ovis, pastore non tondente, sed et pecus deglubente; certe de libertate et juribus civium, immo de omni republica actum esse videtur. Ex iisdem rationibus enim subditi sine iusta causa et domo et agro et omni patrimonio, imo vita ipsa privari poterunt.

§. XIX.

Quid juris in dimissionibus indirectis?

Dantur quoque dimissiones ad quas petendas ministri, qui gratiam principis casu perdidierunt, variis aulae artibus coguntur; v. g. si imperans auctoritatem officialis apud collegas vel eos, qui suae curae vi officii relicti erant, vilescere patitur, ipsique de injuria querenti auxilium denegat; si officium dividitur, salarium ejus minuitur, aut iusto tardius solvitur: et si quae aliae machinationes, quae officiali maiorum pertaeso resignationem extorquent. Tales dimissiones indirectae tam iniustae, iniquae, quam simplices et apertae dimissiones sunt, quae proinde nequaquam probandae.

§. XX.

Dicta supremorum imperii tribunalium.

Jam vero ne jura reipublicae alicujus platonicae, sed nostrae germaniae jura hodierna in materia tam gravi explicuisse; neve magnorum Ictorum nominibus et auctoritatibus meam qualemcunque opinionem

nem temere opposuisse videar, ad praxin supremorum imperii tribunalium hodiernam provocho, quae civilibus ministris de injusta dimissione agentibus auxilium nunquam denegarunt (y). Et licet ii status imperii contra quorum arbitrarías et injustas dimisiones auxilium iudicis impetratum est, se multum in hoc gravari existiment, non aliis tamen principiis innituntur haec conclusa et mandata summorum imperii tribunalium, quam quae imperantes maximorum regnorum et territoriorum, qui arbitraríam non affectant potestatem civilem, ultro sequuntur. In terris v. g. regis borussiae sub praesidio et suprema monarchae inspectione ordinata legum commissio iura atque obligationes ministrorum publicorum integro titulo exponere et definire, operae pretium duxit, ubi inter alia sancitum legitur (z): „Dafs kein Civil-„bedienter des ihm einmal verliehenen Posten ohne Urtheil und Recht „entsetzt werden könne.“ Non quidem ignoro esse hunc passum novi codicis ejus in vim legis publicatio adhuc expectatur. Sed nihilominus nunc jam eundem passum pro vera lege, quippe quae jure publico universali innititur, observari, notatu dignissimum docet exemplum. Nuper enim accidit, ut universum ibi collegium, quod negotiationis causa institutum erat, sublatum fuerit; et licet hoc ex rationibus publicae salutis factum esse, ideoque justam causam dimittendi singula hujus collegii membra non defuisse constet; attamen cum causa dimissionis non ex ipsa personarum publicarum qualitate aut gestione negotii commissi petita erat, eos innocentes sane privari non posse, et damni reparationem de jure petere posse credebatur a legum commissione, quae his verbis eorum de causa respondit: „Dafs ein „königlicher Bedienter darum, dafs seine Dienste nicht weiter nöthig „sind, und die von ihm bekleidete Bedienung überhaupt aufgehoben „wird, nicht schlechthin, und ohne ihn wegen des verlohrenen Po- „stens völlig schadlos zu halten, nicht dimitirt werden könne, es wä- „re denn, dafs die Dauer des Postens durch die Natur der Geschäfte, „oder durch ausdrücklichen Vorbehalt auf eine gewisse Zeit einge- „schränkt worden seyn.“ Ceterum illustre responsum, quod illustre huius materiae admodum inservit, in calce hujus dissertationis integrum adjicere, superfluum non erit.

(y) L. B. DE CRAMER Obf. jur. univ. T. 2. P. I. Obf. 565. T. 2. P. 2. Obf. 628. *Ejusd.* Nebenstunden Th. 38. p. 5. 8. p. 58. p. 81. Th. 79. p. 49. Th. 123. p. 445. III. *Schlüzer* Staatsanz. Heft 29. p. 43. 50. Heft 16. p. 223. Heft 10. p. 217.

(z) Th. I. Abhandl. 2. *Stände des Staats*, tit. 5. §. 70.

CAP. II.

DE

IVSTIS DIMISSIONVM CAVSIS,

ET LEGITIMA EARVM COGNITIONE.

§. XXI.

De iustis dimittendi causis generalit̃m, et in specie de causa salutis publicae.

Jam progredior ad secundam partem dissertationis: ubi paucis disquirendum quaenam causae dimissionem officialis dici queant? Et quae in legitima earum cognitione sint observanda? Quasdam existere postulat regiminis finis, jusque mediorum ad salutem publicam promovendam. Icti plerumque tres, *negligentiam, insufficientiam, et utilitatem publicam* recensent; quibus insuper quartam quidam addunt, scilicet *si officialis in officio deliquerit*. Mihi vero rectius videtur, si generaliter dicatur, quibuscunque causis, quae ad removendum suspectum tutorem jure sufficiunt, hic quoque locum esse; sique principia analogica juris romani de suspectis tutoribus *suo modo* hic recte applicari; quia etiam tutor publica autoritate constituitur, et munere vere publico fungitur. Haec tantum inter genus et hujus muneris speciem differentia intercedit: quod tutela tempus sua natura definitum habeat, et cum ut plurimum gratis *si* gerenda, magis ad instar oneris quam beneficii consideranda veniat; quae in aliis muneribus publicis regulariter aliter se habent.

Principem propter salutem reipublicae supremam officialem dimittere posse in thesi dubium non est. Etenim in casibus extraordinariis ex plenitudine potestatis subdito jus quaesitum hac cum limitatione adimere potest, ut subditus alio modo indemnus praestetur, quia iustitia distributiva postulat, ut onera publica ab omnibus aequaliter sustineantur; de cetero autem unusquisque suae tantum culpae poenam luat. Causa dimissionis ergo cessante officialem in pristinum munus restitui aut eum in totum indemnem praestari oportet. Quilibet igitur perspicit casum hunc in hypothesi quam difficillime evenire, nullamque dimissionis causam specialem derivari posse ex eo, quod imperanti vel ipsi civitati certo officialium genere non amplius opus sit. conf. append.

§. XXII.

De causis negligentiae aut incapacitatis.

Negligentia et insufficientia, modo illa supina, haec autem absoluta sit, causam dimissionis iustam exhibere possunt. Certe utraque suos habet gradus; qui prorsus negligens, aut inidoneus est, merito rejicitur (a). Qui non omnino incapax est, vel in ejus administratione levem tantum aut levissimam culpam commisit, iusta correctione adhibita, tolerari debet; dummodo sperari possit ipsum successu temporis per usum et experientiam defectus istos correcturum esse (b). Etenim cum in hoc mundo sublunari nihil ex omni parte perfectum sit, viros ceterum honestos, etiam maxima imbutos doctrina et civili prudentia, tamen nondum absolutos esse constat; quare si ob leve vitium eorum dimissio statim decernenda esset, nullus officialis in possessione officii tutus esset, et deficerent mox, qui in illorum locum sufficiantur.

(a) L. 3. §. 18. ff. de suspect. tut.

(b) Arg. L. 7. C. arb. tut.

§. XXIII.

De delicti in officio commissi causa.

Delictum in officio dolo aut lata culpa commissum dimissionem iustificat. Ob latam culpam in negotio officium concernente admiffam

fam simpliciter dimittitur salvo honore; ob dolum vero cum infamiae poena removetur, quia in criminalibus dolus, et lata culpa quoad satisfactionem publicam non aequiparantur (c). Si officialis in officio culpa levi peccavit, hoc causam sufficientem ad eum dimittendum minime praebet, sed solum poena pro personae qualitate et circumstantiis facti lapsus affici potest; ad damnum vero refarciendum omnino tenetur (d). Ceterum si officialis extra officium deliquerit, regulariter non dimittendus est, cum quilibet in eo, in quo deliquit, non autem in alio puniri debeat (e). Modo non sit capitale delictum vel tale cui poena famam viri spectati fugillans manet; cujus reus non dimittendus sed removendus est, cum honores non nisi honestis viris conferantur.

(c) L. 3. §. 18. ff. de susp. tut. §. 6. I. Eod. L. 7. §. 1. ff. Eod.

(d) L. 7. §. 1. ff. Eod. II. F. 27. §. 7.

(e) HARPRECHT Vol. 2. resp. 47. n. 54.

§. XXIV.

Princeps causam dimissionis ipse dijudicare nequit.

Quamquam vero hic princeps contractum cum officiali in initum rescindere velit ob laesionem juris ex altera parte illatam; ipse princeps tamen dimissionis causam neutiquam dijudicare potest; quia non facti via sed juris procedendum, maxime cum hic de satisfactione agatur, quae non solum principi qua tali, vel qua privato, sed ipsi reipublicae primario debetur. Hinc servandus quoque idem juris ordo, qui secundum civitatis formulam in cognoscendis et puniendis quibuscunque aliis causis praescriptus est. Accedit quod princeps et litigantis et iudicis personam in eadem causa sustineret, si ipsius cognitioni dimissionis causa relinquatur. Res igitur vel in collegio iustitiae, vel a commissariis jurisperitis a principe sine ullo personarum respectu vel praedictis designatis, quibusque aequi et iusti norma sancta sit, rite discutienda et decidenda est. Praeterea et dimittendus audiatur, et defensionem ipsius locus sit; alioquin princeps non iustitiam administraret, sed rem pro sua autoritate et potentia definiret. Quo facto officialis ab imperii iudiciis mandata de bene administranda iustitia sive in genere,

re, sive in specie veluti de examinandis testibus etc. petere potest. Nec casu emergente ad instantiam officialis transmissio actorum ad im-
 partiales sententiae ferendae causa, vel saltem in vim revisionis reme-
 dii ex observantia imperii a iusto imperante denegari nequit. Quod
 reliqua spectat, cuncta juris remedia contra sententiam dimissionis hic
 locum habent; sicuti modus procedendi idem principem inter et mini-
 strum, quam qui inter privatos obtinet, est observandus.

§. XXV.

Pendente lite dimissionis causa mota nihil innovandum.

Durante cognitione causae dimissionis recte quidem pro qualita-
 te causae administratio eorum, quae ad munus publicum pertinent,
 ministro interdicti potest; officium ipsum vero indelibatum ipsi relin-
 quatur, donec per sententiam iudicalem causa fuerit decisa. Suspen-
 sio ergo tantum in iis causis locum recte habere potest, quae ejus sunt
 qualitatis, ut in thesi dimissio vel remotio finita causa per sententiam
 propterea decerni possit. Supponuntur etiam indicia tanta facti culpae
 vel dolosi, quae a diffamato in continenti elidi non possunt. Conten-
 ditur quidem ex argumento a tutoribus petito (f) officiali statim ut cri-
 minis reus postuletur, officii administrationem esse interdicendam,
 nulla habita ratione utrum indicia sufficientia adsint, nec ne: verum
 me quidem iudice, hae leges applicandae sunt, si indicia sufficientia ad-
 sint, alias et juris et aequitatis rationi repugnaret. Neque si etiam in
 tutore earum stricta interpretatio locum habere posset, eadem ad quem-
 cunque officialem publicum sunt applicanda. Etenim tutor admini-
 stratione ipsi sublata nullum exinde damnum patitur, cum apud Ro-
 manos nullo fruebatur salario, sed gratis onus tutelae ex regula sub-
 ibat (g). Nec famae periculum incurrit, quod per innocentiae decla-
 rationem evanescit. Longe alia ratio in officialibus publicis, utpote
 qui per suspensionem et dignitate et salario et commodis annexis ad
 tempus privantur: quapropter in horum suspensione cautius omnino
 procedendum, nec statim ea, pendente cognitione, nisi ex iudiciis gra-
 vissimis decernenda. Si contrarium accideret, nullum est dubium,
 quin contra ejusmodi illegitimos procedendi modos ab executione in-
 choantes

choantes mandata de non via facti, sed juris procedendi nec non officialem prius in officium restituendi etc. S. aut C. C. pro causae circumstantia ab imperii judiciis decernantur (h).

(f) L. 7. C. §. 7. I. de susp. tut.

(g) L. 33. §. 3. in fine de administranda tut.

(h) STRYCK de susp. ab offic. c. 3. n. 57. 58.

§. XXVI.

Si officialis de facto per rescriptum principis extrajudicialia officio suo privetur; ex superioribus per se patet tale rescriptum nullum habere effectum, nullum officiali damnum inferre, nec in rem judicatam transire posse (i). Si enim tale rescriptum vim rei judicatae acciperet, inauditus condemnaretur, quod legibus quam maxime contrarium est (k). Caute etiam agit officialis hoc modo gravatus, si jus suum protestando vel appellando contra rescriptum reservat; ne per silentium suum in illud consensisse aut acquievisse videatur (l). Cum praesumatur principem nil nisi in salutem reipublicae agere voluisse, adeoque ad illud factum injustum aut perversa adulatorum aulicorum persuasione, aut falso rei conceptu perductum fuisse, minister extrajudicialiter laesus litteris supplicibus oret, ut rescriptum aut revocetur, aut dimissionis causa per arbitros vel iudices ordinarios penitus inspicatur. Audientia demum prorsus denegata, gravato officiali nil reliquum est, quam auxilium imperii tribunalium implorare; quod fit per appellationem extrajudicialem, adjecto petito pro mandato S. aut C. C., per quod rescriptum revocetur, ipsi pristinum officium restituatur, et indemnitate damni perpeffi praestetur; aequè ut in appellatione judiciali, ne melioris conditionis sit extrajudicialiter gravans, quam is, qui judicialiter gravavit (m). Quin imo si officialis

ob delictum, quod contra officium commississe dicitur, inauditus removeretur, non solum ipsi remedia in praecedentibus dicta, sed etiam actio injuriarum recantatoria competit.

- (i) L. 4. C. de sent. et interl. L. 2. 5. 6. C. comminat. Epist. progr. etc. non trans. in R. I. L. 7. C. de prec. imp. offerendis.
- (k) L. 7. C. quando, et quom. jud. sent. etc. c. 4. X. de for. comp.
- (l) CRAMER l. c. T. 2. P. 2. Obf. 691.
- (m) CRAMER l. c. T. I. Obf. 73. p. 241. Fr. G. TAFINGERI Inst. jurispr. cam. Sect. 3. Tit. 13. §. 628. n. a.

Eure Königl. Majestät haben uns unterm 18. August p. auf eine Anfrage des Ober- Revisions- Collegii allergnädigst zu befehlen geruhet, über die Frage:

Ob ein Königl. Bedienter darum, daß seine Dienste nicht weiter nöthig sind, und die von ihm bekleidete Bedienung überhaupt aufgehoben wird, dimittiret werden könne?

Unser pflichtmäßiges Gutachten zu erstatten; Wir befolgen dieses hiedurch unterthänigst.

Die Frage ist allerdings zweifelhaft; indessen hat das Tribunal in einigen bei demselben gewesenenen Fällen den Satz, als den Gesetzen am gemäßigtesten angenommen, daß officiales publici ohne gegründete Ursache nicht dimittirt werden können, weil dergleichen officia non in certum diem collata in perpetuum conferirt zu sein geachtet werden, und daher officiales nicht ohne Ursache dimittirt werden können.

WOLF Jus N. P. 8. §. 899. 915. sq. hiemit auch die Römische Gesetze übereinkommen.

l. 6. §. 4. 6. D. de excuf. l. 4. 5. D. de decr. ab ord. fac. l. 2. C. de prof. et Med. l. 3. C. de off. pr. Pr. or. et Illyr. Und wenn gleich einige Rechtslehrer dimissionem officialium sine justa causa zulassen, democh das Gegentheil von andern z. E. SCHÜLTER Exerc. 37. §. 143. 144. LEYSER Spec. 62. m. 9. 10. STRYK n. m. l. 3. f. 4. §. 16. mit mehreren Grunde behauptet wird. Eben dieser Satz ist auch in dem Entwurfe zum Gesetzbuch I. Th. II. Abth. Tit. V. §. 70. angenommen, wenn daselbst bemerkt wird, "daß kein Civilbedienter des ihm einmal

ver-

verliehenen Postens ohne Urthel und Recht wieder entsetzt werden solle." Wir finden auch unserer Seite keinen Grund von diesem Satze abzugehen, und würden daher die uns zum Gutachten allergnädigst vorgelegte Frage vernemen. In der That würde auch viele Unbilligkeit vorhanden sein, wenn man das Gegentheil annehmen wollte; denn ein Bedienter, der ohne Bestimmung einer Zeit, mithin auf beständig zu einem officio angenommen wird, macht seine ganze Einrichtung in seinem privat-Leben nach der Beschaffenheit des ihm gegebenen officii, besonders bei Heirathen, Erziehung der Kinder etc. und es findet sich nicht immer Gelegenheit durch eigene Hülfe das zu ersetzen, was er durch ein entzogenes Amt verlieret, zumal gemeinlich durch die dem Amte gewidmete Zeit, die Zeit verflissen ist, welche sonst dazu hätte angewandt werden können, sich zu einem andern Amte, Gewerbe etc. vorzubereiten. Noch mehr würde die Unbilligkeit einleuchtend sein, wenn, wie es nach dem Aufsatze des Ober-Revision- Collegii bei der jetzigen Anfrage der Fall zu sein scheint, der Bediente, um den Posten zu erhalten, ein anders Etablissement aufgegeben hätte. Mit den Rechten der Herrschaften und Dienstboten kann auch jener Fall nicht gleich geachtet werden, indem Dienstboten sich nur auf Zeit vermieten, und es kann nie leicht fehlen, andere Herrschaften, oder andere Dienstboten zu erhalten, und wenn man auch behaupten wollte, daß ein Bedienter seinem Amte entsagen könnte, so würde doch auch hieraus nicht auf ein gleiches, der Obrigkeit zustehendes Recht, die Folge gemacht werden können, weil die dimissio von Seiten der Obrigkeit samam et fortunam der dimissi interessiert, dagegen eine Obrigkeit nicht weiter dabei ein Interesse hat, als dieses, das Amt an einen andern zu vergeben, der sich gemeinlich leicht findet. Der Umstand, daß der Dienst nicht mehr nöthig und die bekleidete Bedienung überhaupt aufgehoben wird,

wird, kann nur das wirken, daß der Bediente durch einen andern Posten, oder sonst schadlos gehalten werde, nicht aber schlechterdings ihn zu entlassen, weil diesem Satze obige Gründe entgegen stehen; ein anders würde freilich behauptet werden müssen, so wie auch in §. 71. obgedachter Stelle des Entwurfs zum Gesetzbuche bereits bemerkt ist, wenn die Dauer des Postens durch die Natur des Geschäfts oder durch ausdrücklichen Vorbehalt auf eine gewisse Zeit eingeschränkt ist, weil in beiden Fällen eine ausdrückliche oder stillschweigende Einwilligung in die nach Beendigung des Geschäfts, oder der Zeit sich zutragende Aufhebung des Postens vorhanden ist. Wir sind daher der allerunterthänigsten Meinung:

„Daß ein königlicher Bedienter darum, daß seine Dienste nicht
 „weiter nöthig sind, und die von ihm bekleidete Bedienung
 „überhaupt aufgehoben wird, nicht schlechthin und ohne ihn
 „wegen des verlohrenen Postens völlig schadlos zu halten, nicht
 „dimitirt werden könne, es wäre denn, daß die Dauer des
 „Postens durch die Natur des Geschäfts, oder durch ausdrück-
 „lichen Vorbehalt auf eine gewisse Zeit eingeschränkt wor-
 „den etc.

Berlin den 2. Mai

1787.

Die Gesetz-Commission.

E

POST.

POSITIONES.

I.

In negatoria etiam reus in possessione servitutis constitutus jure probare tenetur.

II.

Senatus consulti macedoniani auxilium juramento vel renunciatione jurata filii non cessat. arg. c. 27. X. de jurejurando.

III.

Statibus imperii competit aliquando jus ab invitis subditis tributa exigendi.

IV.

Nobiles et clerici a tributis ob solutionem debitorum tempore belli contractorum exigendis jure non eximuntur.

V.

Testamentum judici per procuratorem offerri potest.

VI.

Partus ex sponsa haud legitimus.

Göttingen, Diss., 1788-89



56.



4

No. 1080

1788,4

Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

B.I.G.

Inches
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

ATIO INAVGVRALIS
VRIDICA
DE
IS OFFICIIIS

E IVSTA CAVSA,
EIVSQVE
I COGNITIONE
AVFERENDIS

QVAM
CIIIS REGIIS
S ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO
ROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS

MARTHII MDCCCLXXXVIII
RVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

AVCTOR
ANVS MALACORD
TABVLETENSIS.

ETTINGAE,
IDER. ANDR. ROSENVSCH.

